



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Consilia Seu Responsa Juris

Schmalzgrueber, Franz

Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL

Cons. LXXIII. Baptismi Iterandi. Dubium movebatur de valore Baptismi collati à Præcone Lutherano malæ Vitæ: unde ex Theologia Morali recensentur causæ iterandi sub conditione Baptismum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72287](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72287)

CONSILIUM LXXIII.

In Casu Dubii de Valore Baptismi collati à Præcone Lutheranò malæ vitæ.

SUMMARIUM.

1. *Facti Species.*
2. 3. *Si rationabiliter dubitetur de valore Baptismi, debet hic repeti.*
4. *seqq. Explanatur, quando sit rationale dubium.*
9. *Magis debemus esse solliciti de Salute Fratris, quàm de Reverentia Sacramenti.*
10. *Parochus in dubio de iterando Baptismo nihil statuatur inconsulto Superiore, aut docto viro.*
11. *Si quis à Parentibus fidelibus educatur, violenta præsumptio oritur de Baptismo ritè collato.*
12. *Judicium invalidi Baptismi est, si quis baptizatus est à venefico.*
13. *Aut insolitas patiatur infestationes Spectrorum.*
14. *Aut diuturnis agitetur scrupulis de valore sui Baptismi.*
15. *Impulsus ad Res Sacras præsumuntur esse à DEO.*
16. *Inter Testes discrepantes magis credendum iis, qui testantur de errore commisso in Baptismo.*
17. *Non est credendum cuius Scriptura de Baptismo collato testanti.*
18. *seqq. Deciditur præsens Controversia.*
22. 23. *Si iteratur Baptismus, sunt nihilominus peccata in Confessione exponenda, quæ post primum dubium Baptismus sunt commissa.*
24. *Particula Sacra corpori inserta debens eximi.*
25. *Particula tamen ejusmodi non semper sunt consecrata.*
26. *Nemo tenetur prodere aliorum crimina, quorum ipse complex est.*

FACTI SPECIES.

I.



Natalia, ex Parentibus Lutheranis orta, post emensos infantia annos, ejuratis erroribus falsæ Sectæ, ad Fidem Catholicam transiit; desideratam tamen in hac quietem non reperit, quippe continuis anxietatibus agitata de valore sui Baptismi, quem à Præcone suo Lutheranò accepit. Causæ dubitandi allegantur maxime istæ, 1. Ait Natalia, Præconem hunc fuisse veneficum, cujus tamen criminis nullam probationem affert, neque de eo aliunde constat; nam hoc solum post indagationem innotuit, quòd idem Præco ob flagitiosam vitam fuerit dein officio, & loco motus. 2. Dicit eadem Natalia, quòd Amita ejus asseruerit, se animam suam oppignorare posse, quòd ipsa Natalia in nomine Diaboli baptizata sit, quòdque illa rei gestæ præsens adfuerit. 3. Cum petisset ab hodierno loci Præcone Literas collati Baptismi testes, iste varia primùm causatus, & inter hæc nomen ipsius ex Libro Baptismali esse deletum, in eodem non amplius contineri, sibi non licere ejusmodi documenta extrahere &c. tandem altera die submitit Literas testimoniales Baptismi, inserto his quidem nomine Nataliæ, Parentum ejus, Patrinoꝝ, & Antecessoris sui, sed sine apposito anno, die, & Sigillo. 4. Ait, eti-

am Parentes suos, Patrinos, Fratres, & Sorores veneficii crimine infectos esse, & in specie de Patre suo asseruit, illum, licet pauper opilio sit, tamen temper pene ebrium esse, pro quo pecunias à Diabolo accepisse, & commercium cum eo habere etiam ab aliis notatus fuerit. Imò 5. Dicit, Patrem suum sibi fuisse factum, quòd in diaboli nomine baptizata, & anno ætatis 5. & 9. eidem à Parentibus devota fuerit, seque ab eo rogatam, ut sibi parceret, nec se proderet. 6. Diabolus, ut ipsa affirmat, ad eam maximum accessum habet, illique diu, noctuque molestus est. Quare, cum salutis suæ consulere, & ab his Stygii lavernionis molestiis libera esse velit, internis se stimulis constanter agi affirmat, ut Baptismum sollicitet. His stantibus,

QUÆRITUR.

Utrum Natalia licitè baptizari denuo possit?

Pro Resolutione istius Questionis noto hic, quæ fusiùs in hac materia iterationis Baptismi tractat

P. Georgius Gobat *Theol. Exper. tract.* 2. à n. 356.

juxta quem 1. Si rationabiliter dubitetur, utrum Baptismus sit validè collatus, necne, debet Baptismus repeti: idque verum

2.
Prænotanda.

rum est, siue Parochus dubitet, utrum ritè Baptismum contulerit, siue dubitet Parochianus, seu Baptizatus de valore sui Baptismi. Primum membrum

cum eodem Gobat *l. cit.* tenent Zambran. *de Bapt. dub. 1. n. 7.* Vafq. *tom. 2. in 3. part. D. 146. c. 4. n. 9.* Calpar. Hurtad. *D. I. de Bapt. n. 12.* Quintanaduen. *tract. 1. sing. 1. n. 1.*

Ratio est, quia Parochus debet esse sollicitus de Salute suorum Parochianorum, & consequenter non tantum ipse in administrando Baptismo uti materia, formaque certis cum potest, atque sic tutiora sequi; sed etiam inquirere de valore Baptismi illorum, qui domi baptizati sunt, & si erratum in aliquo substantiali fuisse inueniat, aut rationabile dubium occurrat, an reuera, vel an ritè baptizati sint, conferre de novo Baptismum, ut habetur *can. parulos. 110. & can. placuit. 111. de consecr. dist. 4.*

Quod etiam verum est de quocunque alio, qui ob necessitatem potest baptizatum, Baptismo dubio, sub conditione rebaptizare; nam hic ex misericordia tenetur id facere in necessitate, & acquiescere voluntati adulti, petentis rebaptizationem ob rationabile dubium.

Calp. Hurtad. Gobat *l. cit.*

3.

Ratio 2. Membri est, quia siquibet tenetur in re tanti momenti deponere conscientiam dubiam, atque ea facere, quæ necessaria sunt ad evadendum discrimen æternæ damnationis. Et quidem,

ut notant Suar. *in 3. part. D. 31. sect. 2.* Vafq. *l. cit. D. 149. c. 4.* Quintanaduen. *tract. 1. cit. sing. 4. n. 3.* Gobat. *l. cit. n. 357.*

hæc Obligatio procurandi iterationem Baptismi post ortum rationabile dubium, debitamque investigationem sub mortali statim impleri debet; vix enim occurrere potest rationabilis causa differendi diu repetitionem Baptismi, stante tali dubio. Idem dicendum de omnibus illis, sub quorum cura est is, cuius Baptismus vocatur in dubium; nam & isti sub mortali obligantur ad procurandam maturè suppletionem,

ut rectè cum Quintanad. *l. cit.* notat Gobat *dist. n. 357.*

& meritò; hic enim maximè locum habet gravissima Censura, quam Paulus Apostolus ad Timotheum fulminat his verbis: *Si quis suorum, maximè domesticorum, curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Concordant Textus

can. placuit. 111. can. cum itaque. 112. & can. si nulla. 113. de consecr. dist. 4. c. de quibus. 2. de Baptism. c. fin. & quia verò. de Presbyt. non baptiz.

ex quibus Textibus palàm est, illos omnes rebaptizandos, de quibus *nescitur*, de quibus *non ostenditur*, eos esse baptizatos, verbo, de quibus undecunque rationabile dubium est, an baptizati fuerint.

2. Rationabile dubium de Baptismo, aut valore illius

4

juxta Suar. *D. 21. sect. 6.* Dicat. *hic D. 1. n. 164.* Card. de Lug. *l. 1. resp. Moral. dub. 1. c. 2.* Quintanad. *tract. 1. cit. sing. 1. n. 7.* Gobat. *l. cit. n. 365.*

tunc censetur adesse, quando adsunt quidem indicia ad suspicandum, puerum esse baptizatum, non tamen sufficientia ad ferendum absolutum, ac definitum iudicium, adeoque talia, quæ gignere moralem certitudinem nequeant: quod firmiter probari videtur ex verbis cit. textuum, *Scire, nescire, non ostendi, non monstrari.* Et confirmatur ex Rituali, iussu Pauli V. edito, *S. de Baptism. Parvul.* ubi Pontifex mandat rebaptizari illos, de quorum Baptismo *non constat.* Atqui non constat de Baptismo illo, de quo non habetur certitudo moralis hic descripta. Ergo &c.

Proinde rationabile dubium de valore Baptismi abest, quando unus oculatus, ac fide dignus testis, in quo nulla suspicio esse possit erroris, vel perniciosi mendacii, asserit, aliquem esse baptizatum. Sumitur apertè

5

ex *can. parulos. 110. & can. cum itaque. 112. de consecr. dist. 4.* atque ita communiter sentire omnes Doctores; testatur Quintanad. *tract. 1. sing. 1. n. 5.* citans Paulud. *in 4. dist. 6. q. 4.* Sot. *in 4. dist. 3. art. 9.* Sylv. *V. testis. q. 5.* Suar. *D. 27. sect. 2.* Vafq. *D. 146. c. 2.* Laym. *l. 5. tract. 2. c. 5. n. 3. & dixi tamen:* quibus consentit Gobat. *l. cit. n. 369.*

At verò remanebit (quoad valorem Testimonii) rationabile dubium, si Testis ille sit ejus conditionis, ut non sufficiat ad gignendam moralem certitudinem.

6

Suar. *sect. 2. cit. in fin.* Quintanad. *n. 5. cit.* Gobat. *n. 370.* ut probatur manifestè ex *can. placuit. 111. de consecr. dist. 4.*

ubi expressè requiruntur *Testes certissimi, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur.* Excipitur, nisi aliæ sint Conjecturæ, quæ vel solæ, vel cum testimonio unius conjunctæ ad certitudinem moralem sufficient.

Suar. Gobat *l. cit.*

Porrò remanere, & esse dubium censetur non solum tunc, quando nullæ Rationes occurrunt pro-vel contra impertitionem, valoreque Baptismi, sed etiam quando probabile quidem est, Baptismum fuisse collatum, simul tamen ob rationem probabile, non fuisse collatum.

7

Vafq. *D. 146. cit. c. 4.* Card. de Lug. *resp. mor. l. 1. dub. 1. & 2.* Gobat. *n. 371. & alii communiter.*

Ratio est, quia in hoc casu non habetur certitudo suprâ descripta. Et à Baptismo, Sacerdotio, Episcopali Ordine tam multa, tamque gravia dependent, ut in eorum re-ceptione oporteat, quoad fieri potest, am-plecti

plecti viam certam, & securam. Lug. dub. I. cit. n. 11. Et hinc

8. 3. Sicut graviter peccat, qui temerè, & cum levi dubiolo Baptismum etiam sub conditione confert, vel iterari petit, ita parùm pius in Proximum foret, qui in rationabili, hæcenus explicato dubio, Baptismum petenti, hujus iterationem negaret. Et propterea cit. P. Gobat n. 380. præ oculis semper habendam monet auream illam Sententiam S. Leonis Papæ *Epistol. 37. c. 1.* ubi de hac ipsa materia, *Imprimis*, inquit, *providere debemus, ne, dum speciem quandam cautionis tenemus, damnum regenerandarum incidamus animarum: præsertim, quia,*
 ut idem Pontifex *can. si nulla. 113. cit.* relatus ait,

non temeritas intervenit præsumptionis, ubi est diligentia pietatis. Et hinc S. Augustinus, *Can. si quis autem. 4. de Penit. dist. 7. relatus,*

Tene, inquit, certum, dimitte incertum. Certum autem est, alterum Baptismum, in tali dubio collatum, non fore noxium animæ parvuli; incertum verò, an prior sit profuturus.

9. Hanc ob rem, ut sæpè citatus Gobat n. 381. notat, multi DD. reflexè movent, in casu, quo occurrit dubium circa licitiam, vel præceptam iterationem Baptismi, semper magis inclinandum esse in favorem animæ, quam Sacramenti. Rationem dat Vasq. *D. 155. c. 3. n. 40. quia, cum Sacramentum institutum sit in hominum utilitatem, potius habenda ratio est necessitatis fratris, quam reverentia debita Sacramento.* Nec est tali casu timendum, ne per iterationem in tali rationabili dubio fiat irreverentia Sacramento, aut injuria Christo hujus Authori: Non Sacramento; nam, ut n. cit. ait Gobat, Sacramentum Baptismi, Penitentia &c. res est inanima. Ergo non sentiet, licet illud repetatur, cum à parte rei non esset repetendum: contra verò sentit, & horrendè sentit anima, sentietque fortassis in omnem seculuram æternitatem, si non mundetur Baptismo, quando esset emaculanda per iterationem. Non etiam Christo Sacramenti Institutori infertur injuria; nam quamvis iste (ut ex phrasi S. Scripturæ loquitur idem Gobat *l. c.*) gravissimè sentiat, & ulciscatur injuriam, si temerè repetitio fiat: si tamen hæc fiat bona mente, ob dubium utunque rationabile, seu non apertè vanum, futile, explodendum, exluffandum, non sentit ipse quidquam nisi bonam fidem, pietatem Christianam, magnam æstimationem de sua suavitate plus quam paterna, remunerandam æterna beatitate.

10. 4. Cavere tamen, ut rectè Gobat n. 382. monet, Parochus tun., quando occurrit eventus aliquis particularis, exoriturque quæstio controversa propter additam, aut omissam hanc, vel illam circumstantiam;
R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. 1,

debet, ne ferat sententiam, aut quidquam determinet inconsulto Superiore, vel si hic conveniri nequeat, absque consilio unius, alteriusque Viri docti, pii, & rerum intelligentis; nam utramvis in partem inclinet, emergere per se, vel per accidens potest incommodum non spernendum. Quodsi talem, vel tales Viros, à se non consultos viderit vel hæsitantes, vel inclinantes in iterationem Baptismi, ejusmodi hæsitacionem pro novo aliquo argumento verè dubii Baptismi, consequenter corrigendi habeat, ut idem Gobat *l. cit.* advertit.

Considerandæ item sunt circumstantiæ Casus particularis occurrentis, & conjecturæ, quæ ex his fieri possunt. Sic, licet de illo, qui natus est ex Parentibus fidelibus, & inter Christianos fideliter educatus, ac conversatus, præsumptio violenta oriatur de Baptismo ritè percepto, atque hinc apud talem Baptismus non sit iterandus; tamen, ut cum Laym. *l. 5. tract. 2. c. 5. num. 4.* notat Gobat *l. cit. n. 383.*

etiam adulto, inter fideles educato, conferendus est Baptismus sub conditione, si tales Conjecturæ concurrant, quæ præsumptionem accepti Baptismi tollant, & contrarium verosimile efficiant. Videndum est etiam,

ita monentè eodem Gobat n. 385.

quid à Viris piis, & doctis in simili casu sit suavisum; nam, si constat, fuisse in tali, vel tali casu suavisum à Viro, aut Viris doctis, piis, & rerum intelligentibus, ut repeteretur Baptismus, poterit quoque in omni simili eventu ejus repetitio suaderi, & Baptismus sub conditione conferri. Ratio est, quia de simili idem judicium est habendum.

c. inter corporalia. 2. de Translat. Episcop.

5. Talis Conjectura juxta eundem Gobat n. 385. cit. est, si is, de cujus Baptismo quæstio fit, à veneficis Parentibus natus sit, nec sciri possit ullo iudicio, ubi, & à quo baptizatus sit, vel si constat quidem, quis Baptismum contulerit, tamen & ipse de veneficio suspectus sit; nam tales Parentes, & Pastores venefici solent Liberos, & Subditos suos baptizare in Diaboli nomine, hucque illos tradere, & devovere. Item si ille à Dæmone, & Spectris valde graviter infestetur; nam, ut allegatus Gobat n. 384. ait, ob diuturnas, & graves Dæmonis infestationes potest quandoque injici prudens suspicio, aut metus, ne quis non sit baptizatus, aut non validè baptizatus. Probari id potest variis exemplis illorum, qui, postquam rebaptizati fuerunt, liberati illico ab hujusmodi infestationibus sunt. Confirmat hoc Gobat *loc. cit.* iudicio longè plurimorum, qui, quando vident, quempiam diu, multumque infestari modis exoticis, solent dicere: *Der Mensch*

II.

12.

Mensch ist gewiß nicht recht getauft, *Iste homo cerè non est ritè baptizatus.*

13.

Ejusmodi casum recenset Gobat *n. 453.* de Parvulo, qui primis infantia annis valde infestabatur à spectris, ita, ut in cunis adhuc vagiens, daret suis clamoribus, motu capitis, & oculorum non obscura indicia spectaculorum molestissimorum; & potens jam fandi ferè continuò clamabat videri à se nigrum, tetrùmque hominem, qui etiam de nocte ipsum territet. Re delatà ad Ordinarium, mandavit hic, vel saltem permisit eum baptizari jam sexennem, licet minimè ignarus, eum fuisse baptizatum à Parocho viro probo, perito, & non planè impoto quidem, attamen minimè ebrio. Peracto secundo Baptismo, desière videri spectra, cœpitque, & perduravit quies, & serenitas. Non potuit, ut puto (prosequitur Gobat *n. 454.*) ille Ordinarius rationabiliter dubitare de valore prioris Baptismi, consideratà præcisè relatione Patrinorum adstantium, ipsiusque Parochi: at verò scrupulum non planè inanem de aliquo, undecunque tandem profecto, defectu, vel errore iniecit illa circumstantia infestationis continuæ. Addit tamen idem Gobat, hujus rationem non semper habendam, quod *num. 455.* probat ex Casu alio, quem ibi recenset. Hinc *num. 456.* monet, cavendam omnem præcipationem, & revera hoc loco usurpandum illud aureum monitum, juxta quod, *Quod semel statuum est, diu deliberandum est;* putat tamen, annorum quinque, vel sex experientiam esse sufficientem, si certum sit, illas prorsus extraordinarias, & pergraves infestationes fuisse tanto tempore continuatas, nec appareat indicium ullum, ex quo concipi possit prudens suspicio de interventu alicujus lamia, aut strigis.

14.

6. Inter hujusmodi Conjecturas idem Gobat *n. 384.* recenset, si quis diturnis, & gravissimis scrupulis agitetur de valore sui Baptismi. Talem Casum recenset

Quintanad. *tract. 1. sing. 8. n. 2.*

de aliquo Religioso, qui scrupulis valde diuturnis, & molestis de suo Baptismo agitatus, constanter Baptismi iterationem petiit, & ex Consilio Virorum prudentum recepit, licet nullum appareret fundamentum, unde suspicari posset, se non esse baptizatum; recepto autem secundo Baptismo, tranquillitatem adeptus est. Similem alium Casum refert idem Quintanad. *l. cit. n. 1.*

de femina, similiter diuturnis scrupulis de Baptismo suo agitatà, & propterea iterum, licet cum levissimo dubii, aut suspitionis fundamento, sub conditione rebaptizatà, quæ pariter post receptum secundum Baptismum quieti animæ restituta est; videtur enim DEUS nonnullis immittere tam potentes instigationes ad petendum Baptismum, ut vix possint iis resistere. Et hinc talis stimulus, indefinenter impellens hominem ceterà pi-

um, & pro sua conscientia prudentem ad petendam repetitionem Baptismi, potest Viro cordato movere dubium, an non instinctus iste petendi rebaptizationem proveniat à Spiritu illius, qui *vult omnes salvos fieri. 1. Timoth. 2.*

Ex his rationibus utramque rebaptizationem approbat Gobat *num. 450. & 451.* qui *n. 452.* hoc confirmat ex Libris Historicis, qui pleni sunt exemplis hominum destinantium, & facientium varia, & exotica, quorum rationem nequibant reddere, & tamen egerunt cum summa ratione, quia ex instinctu Divino, ut demonstrabat eventus; non enim, ait *l. cit.* Gobat, impulsus ejusmodi provenire possunt à malo genio, quippe qui tantopere execratur res sacras; non ex conscientia nimis apprehensiva, vel humore Hypochondriaco, si talis homo ceterà in reliquis actionibus non præ se ferat specimen phantasiae ullo modo corruptæ. Addit tamen idem Gobat *num. 458.* nolle se cuiquam auctorem esse ullum reducendi ad undas Jordanis, si foli, etiam perpetes, scrupuli, nullà peculiari ratione nixi, pro causâ afferantur.

7. Denique, quando lis de repetendo Baptismo est terminanda per Testes, illi præferri debent, qui testantur, errorem intercessisse. Gobat *n. 386.* ubi rationem dat, quia magis creditur Testibus, deponentibus pro causa favorabili, pro qua aliàs Sententia fieri debet in dubio, quàm aliis deponentibus contra talem Causam, præsertim, si Testes, deponentes pro nullitate Baptismi, afferant rationem sui dicti probabilem, & quæ suspensionem prudentem movere possit de Baptismo non ritè collato, ut si infans baptizatus sit ab obstetrice venefica; nam si hoc constet, Baptismus sine scrupulo est iterandus, cum meritò in dubium revocetur Baptismus collatus ferè à quavis illarum, Gobat *n. 402.*

Nec semper credi potest, aut debet cuiunque Scripturæ, quæ de collato Baptismo testatur; nam Scripturæ privatæ, non notatæ Sigillo, vel manu scriptoris, nulla fides est adhibenda, nisi in præjudicium scriptoris,

ut videre est apud Tusch. *V. Scripturæ, & AA. ab ipso cit.*

Hinc meritò in Constitutionibus Synodalibus Constantiensibus *p. 1. tit. 6. n. 6.* statuitur, ut *Infans expositus, licet in collo habeat appensum testimonium, quòd baptizatus fuerit, si tamen aliunde non constet, baptizetur sub conditione.* Idem decretum est

in Concil. Mediolan. III. sub S. Carolo Borromæo *tit. de Bapt. Infant. in Cameracensi apud Jacob. Marchant. resol. Pastor. de Sacram. tract. 2. c. 2.*

n. 4. Item pro Archiepiscopatu Hispalensi, & Episcopatu Cordubensi apud Quintanad. *l. 1. tract. 1. sing. 9.*

Ex his deducitur, quid sit respondendum ad propositam Quæstionem.

18.
Deciditur
Quaestio.

Si vera essent, quæ in Facti Specie Num. 1. relata sunt, nullum foret dubium, quin re-iterandus Nataliæ esset Baptismus. Nam ex ibi relatis prudentissimum exurgeret dubium de valore ejusdem. 1. Ex statu Præconis baptizantis, Patrinoꝝ Baptismo assistentium, parentum, & totius familiæ, qui omnes ibidem dicuntur esse venefici, quo casu repetendum esse Baptismum dixi Num. 12. Quia, ut ibi dictum est, isti baptizare solent in nomine Diaboli: quod confirmatur ex dictis Num. 16. ubi idem ostensum est de Baptizatis ab Obsterice Hæretica. 2. Ex assertione ipsius Patris, & Amitæ; nam Confessio propria inter omnes probationes est optima, & talis, ut melior reperiri non possit. 3. Ex perpetua infestatione Dæmonis, qui diu, noctuque vexat diris modis Nataliam; nam talis continua vexatio juxta Num. 12. cit. quandoque injicit prudentem suspicionem, aut metum, ne quis non sit baptizatus, aut non valide baptizatus. Et hinc juxta dicta Num. 13. ob hanc solam vexationem diuturnam, & gravem reiteratus est Baptismus in casu ibi relato ex mandato; vel saltem permissione Ordinarii, licet aliunde non apparerent ulla indicia de ullo circa illum commisso errore. 4. Ex variatione, & rehitentia ipsius Præconis Lutherani, à quo Testimonium Baptismi collati petiit; nam modo dixit, nomen Nataliæ in Libro Baptismali non inveniiri, modo verò illud deletum esse; nam, si non inveniiebatur, quomodo Testimonium dare de Baptismo ipsi collato potuit: si verò deletum erat, non ita deletum fuit, ut illud legi non posset; aliàs ex eo Libro Testimonium non potuisset excerpere: adeoque manifestè probatur fuisse mendax. 5. Ex ipsa forma Literarum Testimonialium, quibus nulla dies, nullus annus Baptismi collati adjectus fuit, nec etiam Sigillum appositum; consequenter juxta Num. præc. huic Testimonio nulla fides est adhibenda.

19.

Sed quia hæc omnia defacto habentur ex sola assertione Nataliæ, ideo fidem integram nondum merentur. Hinc ulterius, antequam aliquid in re tanti momenti decernatur, inquirendum est. 1. Ob quæ crimina Præco, qui Nataliam baptizavit, officio, & loco motus sit. 2. Quæ sit fama Parentum, fratrum, sororum, & Patrinoꝝ ejusdem, quos & ipsos veneficos esse dixit. 3. An Amita illius sit constans in assertione sua, quâ dixit, Nataliam in Diaboli nomine baptizatam fuisse. 4. An Nataliæ nomen Libro Baptismali inscriptum sit, an verò omissum, deletum &c. 5. Et præcipuè, qualis hætenus fuerit vita ejusdem, & num non etiam ipsa spontè se Dæmoni mancipaverit; nam de ita mancipatis non est mirum, quòd infestentur à Dæmone, & ad quævis maleficia impellantur, ut patet ex Processibus contra Sagas. Proinde apud tales de-

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

fectus legitimi Baptismi harum infestationum causa esse non potest.

Quod si Natalia probetur esse, & fuisse hætenus bonæ vitæ, & famæ, non agitata intemperie mentis, aut humoribus Hypochondriacis, judicarem, etsi non omnia, quæ pro indicio invaliditatis Baptismi sui asseruit, probari legitime possint, adhuc tamen posse licite iterari Baptismum illius. Nam 1. Præco Lutheranus, qui dicitur eam baptizasse, fuit diffamatus de vita flagitiosa, & propterea officio suo, & loco motus. Talis autem vita, præsertim si Veni illi fuisse deditus, suspicionem Magiæ facit; nam Venus, & veneficia satis vicina; ut nomine, ita & re delicta sunt, præsertim in homine Hæretico

juxta P. del Rio in Præfat. ad Disquis. Mag.

2. Suspicionem de non ritè collato Baptismo auget Præco hodiernus loci, prioris successor per tergiversationem suam, variationem in dictis suis, & Testimoniales de Baptismo ipsi collato Literas, non modo, quo deberent, & aliàs mos est, conceptas, quæ proinde fidem nullam merentur. 3. Quamvis aliàs non adeò bonæ vitæ foret Natalia, non tamen credibile est, nisi aliquid veritatis subesset, quòd Parentes, fratres, & sorores suas cum suo etiam dedecore adeò graviter fuisset diffamatura, & actura illos veneficii reos. 4. Magis adhuc ad suspicionem rationabilem de invaliditate Baptismi conferunt infestationes continuæ Dæmonis, si tales illæ revera sint, & uti dictum est Num. 13. nullum aliunde indicium appareat, ex quo concipi prudens suspicio possit de intervntu alicujus strigis, vel lamie; nam in bonæ, & rectæ mentis animas tale exercere dominium Dæmon communiter à DEO non permittitur.

His ergo positis, rectè applicari possunt superius dicta. Nam 1. juxta Num. 2. Baptismus iterari debet in casu, quo rationaliter dubitatur, utrum Baptismus alicui sit valide collatus, necne. 2. Juxta dicta Num. 4. Rationabile dubium de Baptismo, aut valore illius censetur tunc adesse, quando habentur quidem indicia ad suspicandum, quòd ille sit baptizatus, non tamen sufficientia ad ferendum absolutum, & definitum judicium, adeoque talia, quæ gignere moralem certitudinem nequeant. 3. Tale indicium in Casu subtrato non facit Testimonium de Baptismo collato datum à Præcone hodierno, quippe conscriptum sine die, & Consule, ipseque Præco variatione sua ostendit, se non esse Testem, qui ad gignendam certitudinem moralem Testimonio suo sufficiat, quod tamen juxta Num. 6. requiritur. 4. Esto, Testimonium hoc probabilem faciat collationem Baptismi, non tamen elidit suspicionem pariter probabilem de eo non ritè collato, quam suspicionem facit vita flagitiosa baptizantis; nam juxta Num. 7. du-

Aaa aa a

bivm

20.

21.

bium rationabile manet etiam in casu, quando probabile quidem est collatum fuisse Baptismum, si simul ob rationem probabile sit eum aut omnino non, aut non rite fuisse collatum, præsertim quia 5. In casu, quo occurrit dubium circa licitam iterationem Baptismi, juxta *Num. 9.* semper magis inclinandum in iterationem Baptismi ob gravia damna animarum, quæ ex hac neglecta, cum fieri deberet, sequuntur. 6. In similibus, imò minus gravibus, quàm sint in hoc Casu, circumstantiis, ut dictum est *Num. 12. & tribus seqq.* aliquoties jam à Viris piis, & doctis suasa, & ad consilium illorum facta est iteratio Baptismi, & hinc locus est Regulæ datæ *Num. 11.* pro resolvenda particulari aliquo casu videndum, quid à Viris piis, & doctis in simili casu sit suatum; nam id consilii etiam sequi tuto possumus in aliis casibus, ubi similes conveniunt circumstantiæ. Prudentissimè autem fiet, si in Casu præsentis, antequam aliquid decernatur, Facti Species, omissis Nominibus personarum, & loci, referatur ad Ordinarium, & hujus judicium exquiratur. Et hujus tandem obtentâ approbatione, ad iterationem Baptismi tuto procedi in Casu præsentis poterit, modò ex parte Nataliæ non sit justus, ac prudens timor, ne vel decipiatur, aut velit decipere.

22. Quæritur ulterius 1. An Natalia, si Baptismus eidem sub conditione denuo conferatur, antequam admittatur ad S. Communionem, obligata sit confiteri peccata ante hunc secundum Baptismum à se commissa?

2. An teneatur eximere, vel si ipsa istud non possit, chirurgi manu ut eximantur, permittere Particulas Sacras, vel alia superstitiosa, si quæ corpori inserta gerit, ut plerumque fit apud homines Diabolo traditos, & mancipatos? 3. Quid cum ejusmodi SS. Particulis agendum? 4. Sitne obligata parentes, fratres, sorores, aliòsque complices prodere, & denunciare, si convertere sese nolint, adeò, ut in eventum recusationis absolvi nequeat?

23. Ad 1. Affirmativa responsio est, quia dubium est, an non jam antea sit rite baptizata: consequenter si valeret primus Baptismus ipsi collatus, peccata, quæ ipsa commisit, non remitterentur per secundum Baptismum. Simile quid,

ita referente P. Gobat *Theol. Exper. tom.*

1. p. I. tract. 7. n. 594.

contigit Viennæ. Ibi olim Judæus quidam à curru, super ipsum lapso, obtritus est ita, ut cerebrum elisum eidem fuerit, atque adeò proximè moriturus jacebat. Intervenit huic Casui inter reliquos Spectatores quidam Theologiæ Doctor, qui, postquam à circumstantibus audiit, misericordiam illum pronuntiâsse in isto articulo has voces, *Domi-*

ne Jesu, save mihi; Virgo Maria ora pro me, illum primò baptizavit sub conditione, quia judicabat, verba ista fuisse moralem quandam petitionem Baptismi: dein verò etiam sub conditione absolvit, pro ratione dans, quòd suspicetur, illum fuisse Christianum ad Judæos relapsum, & indigere absolutione. Antequam verò Natalia admittatur ad Sacramentum Pœnitentiæ, expectandum, donec habeat novam aliquam materiam absolutionis, quæ saltem sit peccatum veniale, commissum post secundum istum Baptismum; nam peccata antè commissa sunt dubiè Christiana: adeoque se solis ad absolutionem impetrandam non sufficiunt, quippe cum ad hanc requiratur materia certa.

Ad 2. Si possit ipsamet Natalia Particulas istas eximere, omnino ad hoc obligabitur; nam remanentibus his in corpore, Dæmon solet continuare potestatem suam in ejusmodi homines. Ad manum Chirurgi applicandam non facile obligari debet, si hoc fieri sine diffamatione sua, & periculo revelationis in alios propagandæ nequeat: proinde aliis Amuletis Sacris contra infestationes Dæmonis munire se debet; conversionis autem suæ sinceritatem satis monstrabit, si fateatur factum, & offerat se ad patiendum eximi ista, ubi sine sua gravi diffamatione hoc fieri poterit.

Ad 3. Particula tales non semper sunt ex Hostiis consecratis; quamvis enim intellexerim aliquando ex una aliqua, quæ se conventicula Sagarum frequentasse dicebat, Dæmonem ad usus Magicos non acceptare Hostias Lutheranorum, audivi tamen etiam contrarium. Hinc, cum dubium sit, an Particula tales revera sint consecratae, cum iis agendum, quod cum aliis Hostiis, de quibus dubium est, an consecratae sint; nam istæ juxta communem aut comburi, aut aquâ sic dilui debent, ut species Eucharisticæ pereant; cineres autem, vel aqua ista mittenda erit in Piscinam Sacram.

Ad 4. Prodere, & denunciare Parentes, Fratres, Sorores, & alios complices Natalia nequit, nisi simul seipsam prodatur, sicque se in casu, quo & ipsa veneficii criminis rea est, se supplicii extremi periculo exponat. Cum ergo nemo teneatur seipsum prodere, & mortis subeundæ periculo exponere, sufficet, si sincerè renuntiet Dæmoni, cui se mancipavit, de hoc, & aliis peccatis, ab ipsa commissis doleat, & sincerè in istis se emendet, Parentes verò &c. quantum in ipsa est, hortetur, ut & ipsi à communicatione cum Stygio hoste abstint, etiam additis minis, se illos, nisi sese convertant, prodituram. Ita salvo meliore &c.

